



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Romanvm Svb Liberio Papa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

CONCILIVM ROMANVM  
SVB LIBERIO PAPA.

## NOTA.

Locus, tem-  
pus & cau-  
sa Concilii.  
Quæ crimi-  
na Athana-  
sio obiecta.

*Concilium Romanum.*] Habitu est hoc Concilium Romæ ini-  
tio pontificatus Liberii, anno Christi 352. hanc ob causam. Ariani  
cum mortem Iulii, & suffectionem Liberii cognouissent, collectis  
suz communionis episcopis, Concilium habent in oriente, ex quo  
dant literas ad Liberium, quibus catholicæ vnitatis communionem  
ab eo exposcunt, atque Athanasio noua crimina impingunt. Pri-  
mum hoc, quod post Maximinum Treuirensẽ, & Seruatium  
Tungrensem, legatos Magnentii, Alexandria hospitio suo ex-  
ceptos, aduersus Constantium imperatorem ad Magnentium ty-  
rannum scripsisset. Secundum, quod anno Christi 350. Alexan-  
driam reuersus, basilicam ibidem a Constantio extructam, citra  
ipsum scitum ac iussum consecrare, atque in ea sacram synaxim  
celebrare ausus fuisset. Tertium, quod per literas ab imperato-  
re in Italiam euocatus venire recusasset. Ad has calumnias in A-  
thanasium excogitatas abstergendas, catholici ex confesso LXXV.  
episcoporum Ægyptiorum, pro defensione Athanasii ad eundem  
Liberium literas huius argumenti reddiderunt; quod per legatos  
Magnentii catholicos, ad Magnentium Athanasius nihil literarum  
rescripserit. Maximinum cum Seruatio ab Athanasio hospitio ex-  
ceptum fuisse, tum quod a Maximino tempore primi sui exilii Tre-  
uiris optime habitus fuerit, tum etiam quod vtrumque in Sardi-  
censi Concilio contra Arianorum calumnias sui defensorem fuisse  
agnouerit. Dominicum imperatoris Athanasium non (quod cal-  
umniabantur Ariani,) consecrasset, sed saltem ad petitionem po-  
puli, cuius multitudinem ecclesia non capiebat, in eadem sacram  
synaxin celebrasse, atque in ea pro salute imperatoris preces ad  
Deum effudisse. Demum ab imperatore in Italiam euocatum non  
venisse, quia imperator ad commentitias & dolosas Arianorum li-  
teras, nomine Athanasii saluum conductum in Italiam veniendi  
expetentes, responderit, eo que responso veniendi potestatem con-  
cesserit, nullamque necessitatem accedendi iniunxerit. Acacius  
Cæsarensis olim, nunc post obitum Maximi, Hierosolymitanus e-  
piscopus Arianus, hoc dolose egerat, vt Athanasius per literas com-  
mentitias Constantii in Italiam vocatus, sede Alexandrina ab-  
sens amoueretur, quem præsentem præ seditionis popularis metu  
amouere non possent. Hæc ex apologia Athanasii ad Constantium.  
Vtrumque igitur his literis acceptis, Liberius pontifex Romæ Con-  
cilium episcoporum coegit, in quo recitatis partis vtriusque literis,  
visum est, Arianis id, quod a Liberio postulabant, negandum esse.

Crimina  
Athanasii  
refelluntur.

ANNO  
CHRISTI  
352.

Ne tamen eiusmodi occasione Constantius imperator, (cuius voluntate cuncta ista fieri sentiebant omnes, qui in eadem Synodo cum Liberio erant) in Romanam ecclesiam grassandi animum arriperet; illud ibi ab iis tunc decretum fuit, ut legatio de cogendo Aquileiæ Concilio ad ipsum Constantium mitteretur. deputati sunt Vincentius & Marcellus Campaniæ episcopi. Verum cum Magnentianum bellum impedimento esset, quo minus hæc pertractari possent, ad annum sequentem, post expugnatum tyrannum, legatio dilata fuit. Quis effectus fuerit legationis, vide notas seq. Concil. Arclat. Hæc ex epistola Liberii ad Osium & Constantium. Baron. anno 352. num. 11.

Prima legatio in hoc Concilio deputata est.

## CONCILIVM ARELATENSE SVB LIBERIO PAPA.

In quo Paulinus Treuironum episcopus, quod in Athanasii damnationem subscribere nollet, Arianorum factione depositus est, anno Christi CCC LIII. Liberii papæ 11. Constantii Aug. xv 11. in Gallia 1.

ANNO  
CHRISTI  
355.

**I**n hac Synodo, cui & Constantius imperator, & Valens atque Ursacius, alique Arianiæ factionis principes, cum Saturnino Arelatensi episcopo interfuerunt, vi metuque compulsi sunt orthodoxi, ut in Athanasii damnationem subscriberent. Edicto quippe sanxerat Constantius, ut qui subscribere detrectarent, exilio multarentur. De hoc ergo Arelatensi Conuentu Sulpitius Severus lib. 11. historiae scribit his verbis: Cum sententiam Arianorum, quam de Athanasio dederant, nostri non reciperent, edictum ab imperatore proponitur, ut qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exilium pellerentur. Ceterum a nostris tum apud Arelatem ac Biterras oppida Galliarum Concilia fuere. Petebatur ut priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent; nec tum demum de re cognoscendum, cum de persona iudicium constitisset. Sed Valens, sociique eius, prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. Ab hoc partium conflictu agitur in exilium Paulinus. Unus hic enim Arianorum in hac Synodo conatibus, cum ceteri cederent, constanter obstitit. eamque ob causam a Synodo iam corrupta damnatus, in exilium ab imperatore pulsus est. Hilarius in libello ad Constantium: Eusebius post A-

Concil. Tom. 3.

X ij